ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ
CLASSIVM
ET
ECCLESIARUM ZELANDICARUM
Ad
ECCLESIAS ANGLICANAS

Inteſtino bello perturbatas.

Impreſſum juxta Exemplar *Londinenſe*, quod excudebat *E. G.* impenſis *Iohannis Rothvvel*, ad inſigne Solis ſub Cœmeterio Paulino. 1643.

Προσφώνησιν hanc Classium & Ecclesiarum Zelandicarum, ad Ecclesias Anglicanas intestino bello (heu misere) perturbatas, Christianæ φιλαδελφίας, & fraternæ de rebus nostris sollicitudinis τεκμήριον, luce dignissimam, & typis mandandam Iudico

Iacobus Cranford Ecclesiæ Christophori
apud Londinenses Rector.

Menander.

Ω' ἡδὺ γ' ἐν ἀδελφοῖς ὁμονοίας ἔρως.

REverendi, Honorandi, ornatiſſimi viri, fratres in Chriſto dilectiſſimi, Eccleſiarum Angliæ paſtores; voſque omnes fideles, qui nomen Ieſu in Regno illo ex una nobiſcum fide invocatis. "Gratia domini Ieſu Chriſti, charitas Dei, & communio Spiritus Sancti ſit cum vobis omnibus. Amen."

Ingenti animi mœrore, mœſtoque timore accepimus diſſidia & tumultus inteſtinos, varios caſus & diſcrimina rerum, quibus concutitur & regni & Eccleſiæ apud vos ſtatus: quod

"Bella geri placeat nullos habitura triumphos."

Et eouſque diſcordia cives perduxerit miſeros, ut in propria viſcera crudeli dextra jam ſæviant: quodque omnia inter Regem Sereniſſimum, & ſupremum Regni Senatum, omneſque ſubditos ita perturbata ſint, ut nulla jungendis animis ſpes jam affulgeat. Quæ certè non modo regnum illud florentiſſimum, mundi delicias, vaſtare & in ſolitudinem & cineres convertere; pacatum felicis populi ſtatum in turbas conjicere, & funditus evertere valent: ſed & reformatæ Eccleſiæ, martyrum ſanguine in regno veſtro fundatæ & irrigatæ ruinam, & ſacro-Sanctæ noſtræ religioni perturbationem minantur. Quis talia fando vel audiendo temperet à lachrymis? Nos certè condolentiam noſtram Chriſtianam vobis teſtari, caſuſque veſtros fraterno amore deflere, & non ignari malorum, omni conſilio, prece, conſolatione, & pro viribus vobis miſeris ſuccurrere intendimus. Quod Eccleſia non ſecus ac in undoſo mari variis tempeſtatibus jactetur; quodque à primordiis ſuis ſubinde non ſolum externè oppugnata fuerit, ac infeſtos habuerit impios, qui ſuper dorſum ejus araverunt, longeque protaxerunt ſulcos ſuos: verum etiam innumeris malis intra ſe variè laboraverit, omnibus penè ſæculis innotuit. Raró enim Dei Eccleſiam expertem viderunt homines injuriis eorum, quibus nihil magis ſedet animo, quàm oppugnandæ puræ religioni omnẽ vim & machinas admovere; ut ea radicitus exciſa inſolentiùs in quoſlibet impios cultus & ſceleſtos mores ſeſe effundant. Indè ab ipſo mundi exordio poſtquam [Cain] nefario ſcelere fratrem [Abelem] de medio ſuſtuliſſet, piorum cœtus aſſiduis incurſibus vexatus,, rapinis expilatus, ſubindeque tyrannica violentia propemodum oppreſſus, inter maximos terrores ætatem exegit: ut & tum inteſtinis tumultibus, tum principum ſuorum horrendis ſceleribus variè concuſſus & exagitatus fuit. Et poſtquam ſub novo teſtamento hujus ſæculi homines, ipſius Chriſti ſempiternæ vitæ principis deteſtabili cæde, ſceleſtiſ-

Jeſtiſſimas manus cruentaverant; & in ipſius cultores Chriſtianos pervicaciſſimam rabiem converterant, inſecuta eſt totius orbis conſpiratio ad delendam Eccleſiæ memoriam; & domus Dei immani Cæſarum tyrannide icta, ferociſſima ſævæ crucis flamma correpta fuit. Neque exiguo tempore hoc perſecutionis incendium continuatum. Poſtquam verò Romanum imperium faſces Chriſti Regno ſubmiſerat, videri quidem poterat beatæ quietis ſol aliquis Eccleſiæ illuxiſſe, ut ex aſſiduis terroribus ærumniſque ſeſe colligeret; verùm ægrè eluctata incidit in imperatores Arianos: ſub quibus hæretici ferè & perfidi homines ubique rerum potiebantur; probi verò fideleſque paſtores, Eccleſiis ſuis exturbati ſolum vertere, ignotaſque regiones petere exilii cauſa cogebantur. Quibus malis interpoſito aliquot annorum ſpatio, alia non minus gravia ſucceſſerunt. Pontifices Romani infeſtarunt Eccleſiæ intima viſcera horribilem in modum: nam exteris domeſticiſq; ſubinde ad arma ſtimulatis, effecerunt ut orbis Chriſtianus ſæpe cadaverum ſtrage ceu pavimento ſterneretur. Quantum eorum certamina cum piis ſanguinis Chriſtiani hauſerint, quantaſque Eccleſiarum diſſipationes fecerint, nulla mens humana comprehenderit, nedum vox alicujus, quamlibet ſummam dicendi copiam facultatemque conſecuti, pro rei magnitudine dignè expoſuerit. Antiquum obtinent antiqui hoſtes filii primogeniti, Antichriſtianiſmi antiſtites, qui immaniſſimâ tyrannide ubique Eccleſiam ſibi magis magiſque ſubigere & omnibus ſub jugum miſſis, apertum Evangelio Chriſti bellum indicere ſtudent: & hoc clandeſtinis & apertis machinationibus moliuntur, ſurſum ac deorſum omnia barbaro furore diſturbantes & miſcentes, ut ſibi tyrannidem per infinita ſcelera acquiſitam, in omnia regna & Eccleſias ferro & igni ſtabiliant. Quamvis igitur hodie Satanæ artificio in Regno & eccleſiis veſtris turbas ſubſeri videamus turbis, ac magnos & decumanos fluctus ſurgere, qui Chriſti nomen & Evangelium infament, exoſumque aut certè ſuſpectum reddant: veſtrûm tamen eſt conſideratione Conſilii Divini, & exemplorum omnis ævi, manifeſtè docentium ſemper Eccleſiam cum illis malis conflictatam fuiſſe omnium obſtaculorum impetum fortiter ſuſtinere: & ſtandum eſt infracto animo, neque cedendum ad intercurrentem aut adverſantem aliquam ſortem, quæ à Pontificiis molitionibus obvenire poſſet. Quanquam quæ ex ipſius Eccleſiæ ſinu mala erumpere conſueverunt, magis turbandis fidelium mentibus, fortiúſque concutiendis appoſita videmus. Quemadmodum enim civitati, quæ obſidione cingitur plus periculi imminere conſtat à ſceleratorum proditorum, qui intra ipſam ſunt, inſidioſis conſiliis & molitionibus; quàm externorũ hoſtiũ aperta violentia; ita longè Eccleſiæ periculoſiora, quæ intra ipſam enaſcuntur mala, quàm quæ exteriùs irrumpunt, ac palàm impetum in eam faciunt. Veruntamen & hic ex pavore recipiendi animi: Quum enim nullum ſæculum aſſignari poſſit, in quo Eccleſia expers interiorum ærumnarum fuerit; & nihilominus huc uſque contra omnes inferorum portas ſtabilis permanſerit,

rit, ejicienda est illa animi teneritudo ac mollities, qua nonnulli, ac si jam de Ecclesia conclamatum esset, extrema quæque attoniti expectant. Et cum Deus sapientissimo suo Consilio decrevit, suos per multa certamina & pericula, multasque tribulationes in Regnum suum introducere, quælibet adversa & aspera invicto fidei robore pervadenda sunt, donec perfecta nostri exploratione, exitum exoptatissimum & mercedem cœlestem reportemus. Cùm si æqui dextrique omnium, quæ Dei ecclesiæ accidunt, interpretes simus; unde retrocedendi occasionem quidam arripiunt, id vobis stabiliendis in vera fide plurimum conducet. Quod enim innumeris in malis, & variis persecutionum laboribus in hunc usque diem perstet Ecclesia, annon hinc Divinitus eam protegi ac servari certo argumento colligamus? Si ipsa propriis præsidiis instructa, suisque opibus innixa obstacula omnia discuteret, terreni Regni instar esset, & humanitùs regi defendique videretur: nunc cum toties à malignis hostiliter impetita, toties à falsis fratribus divexata, toties immensa malorum mole pænè obruta, etiamnum perennet, ut patiendo vicisse videatur; cæcus fuerit, qui non animadvertat hîc luclentissimũ divinæ providentiæ specimen; in cujus contemplatione ad celebrandum Dei bonitatem assiduè versemur. Utcunque igitur in hoc mundo premi Ecclesiam videamus, in promptu tamen illud sit, clementissimum patrem nunquam permissurum, ut oppressa deficiat; sed effecturum potiùs, ut quibuscunque malis infestetur, tamen sub crucis ignominia triumphet. Præterea æterni patris ordinatione cessit Christo in medio inimicorum inexpugnabilis dominatio, ut quoties agitamur inter varia pericula & discrimina, in ejus potentiã securè recumbere discamus. Gymnasium igitur hîc nobis apertum, in quo fides, spes, & patientia nostra magis magisque formari possint & firmari. Exercentur eâdem ratione in nobis humilitas, nominis Divini invocatio, mundi despectio, aliæque virtutes, quibus paulatim in sanctificationis opere progressi, ad extremã usque metã cũ timore & tremore salutẽ nostrã operemur. Adeo enim pace vel paululum se ostentante, in licentiam & socordiam effundi proni sumus, ut etiã, cũ sub formidolosis gravissimisque vexationibus Dominus nos constrictos teneat, plerorumque tamen passim animos luxuriare videamus. Quid fieret si confluentibus rebus prosperis, liberè exultandi occasio undique nobis in sinũ offeretur? Itaque in memoriã fidelibus veniat, crucis disciplina nobis in officio continendis nihil æquè necessariũ magisque accommodũ unquã destinari à Deo potuisse. Interea verò quando judicia Dei experimur, solicitudinẽ retinendæ veræ fidei, & perficiendæ sanctificationis requiri in nobis reputemus; ut Consilii Divini intuitu armati contra quælibet offendicula, tandẽ in cœlestẽ gloriã penetremus: hæc enim est Ecclesiæ conditio, per quã placuit Domino suos multiplici experimentorũ viã, ex corruptæ naturæ impurissimo cæno elicitos, ad veræ resipiscentiæ fructus, æternęq; beatitudinis fruitionẽ perducere: durate igitur charissimi fratres. &

 com-

---- componite mentes,
Ad magnum virtutis opus summosque labores.

Et pati vel quæ tristissima pulchrum ducite. Nec abjicite fiduciam & liberam illam professionem vestram, quæ magnam habet præmii retributionem; nam tolerantia vobis est opus ut voluntati Dei obsecuti reportetis promissionē. Accinctæ sunt vobis in auxiliū omniū Ecclesiarū nostrarū manus supplices Deo in cælū expansæ, implorantes Dei optimi maximi opē, ut vobis succurrat, & misereatur perturbatæ Ecclesiæ. Ἀδιαλείπτως enim quà privatim, quà publicè, tristissimi vestri casus recordamur corā Deo: & è suggestu pro concione obtestamur, multisque rationibus hortamur auditores, ut sacris jejuniis, humillimis supplicationibus, ut compassionis lachrymis privatim rē vestrā cōmendent Deo. Et in publicis precibus post conciones ferventi zelo ὁμοθυμαδὸν oramus, ut avertat Deus omnipotens à cervicibus vestris tempestatē & cladē imminentē, & det finem incumbentiū laborū; *Ne permittat perrumpi macerias vitis suæ, quam plantavit in Regno vestro dextra ejus, ne carpant eam viatores, nec suffodiat eam aper sylvestris, neu depascat eam animal agreste.* Curisque ingentibus ægri omnē movemus lapidē, ut publicè jejuniorū & supplicationū dies per provincias nostras, pro pace, & quieta concordia vestra indicantur; hoc verbis, hoc scriptis, hoc per Ecclesiarū legatos obtestamur, & fatigamus potentes & nobilissimos proceres, Ordines nostræ Zelandicæ provinciæ, & omnium provinciarum, ut edictis ipsorum authoritate promulgatis compellantur omnes eorū subditi, ut perdurantes unanimes in oratione & deprecatione, cum extraordinarias, tum ordine recurrentes supplicationum dies celebremus; usque dum tempestas & Ecclesiarum vestrarum perturbatio transeat, & placidâ pace composita quiescat. Hoc enim omni ope annitimur vi sanctæ nostræ communionis, quia vobiscū corpus unum sumus de conscientia religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere, ut alibi scitè Tertullianus; memores enim sumus exempli Ecclesiæ Apostolicæ, in quâ προσευχὴ ἦν ἐκτενὴς γινομένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸν Θεόν, cum singulare aliquod membrum duro persecutionis telo pressum, in periculis versabatur: quanto magis precū subsidio est opus, cùm tot tantæq; Ecclesiæ florentes turbarum fluctibus concussæ, ruinam minantur? Et certioratâ fide speramus Deum è cœlis, è sanctitatis habitaculo benignè auditurum fidelium vota, cum energeiâ, Zelo & humili resipiscentiâ pro fratribus oppressis oblatâ: & respecturum sortem vestrā turbatam, vultu, quo tumultus populi tempestatesque serenat: *Nam occuli Iehovæ ad justos, & aures ejus ad vociferationem eorum.* Quin & Christus Iesus Rex & Dominus Ecclesiæ hæreditatis suæ, tempore accepto, vestrum in auxilium accinctus succurret rebus vestris afflictis: ipse pacis princeps pacem dedit terris, & juxta

san-

sancta prophetarum vaticinia confert suis "Cor unum & viam unã". In rebus humanis & quae naturae modum non excedunt, vix aliquam animorum & actionum consensionẽ, in duobus tribusve amicorum paribus, vel vidit, vel audivit antiquitas: Ejusdem Civitatis incolae, ut idem omnes sentiant, idem velint, humanâ vi & industriâ nunquam perfici potuit. Divino tamen munere, potenti intercessione mediatoris in tantâ Nationum varietate, tot Regiminum discrepantia, tantâ morum & linguarum dissimilitudine, tot animos velut in unum conflari, ut ad res divinas simul aspirent, & se mutuò complectantur, ostendit colligatio omnium fidelium in spiritus unitate; quâ omnes & singuli Ecclesiae filii genuini per totum mundum dispersi, ita coalescunt, ut simus ipsi, *quisque unus sibi per integritatem virtutis, & unum cum proximis, per vinculum dilectionis*; ut recte *Bernardus*. Ad hunc igitur nobiscum confugite, & supplici prece eflagitate, ut disruptam inter vos animarũ concordiam restauret, ut luctantes animos imperio fraenet, tumultuantium fremitus molliat, & temperet iras in regno ejus, Ecclesiis vestris, exortas. Ipse pretioso sanguine pacem vobis acquisivit; hasce terras in coelum subvectus, derelinquens pacem testamento Ecclesiae legavit; & ut benignus sacerdos in Coelis, ut & in terris, efflagitat, ut charitatis vinculis colligati, unũ simus, *Pater sancte*, inquit, *serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, prout & nos, & non pro istis tantum rogo, sed pro iis qui per sermonẽ eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*. Fidamus igitur promissis & precibus pacifici nostri Regis, qui prospiciet laceris & quassis Regni & Ecclesiae vestrae rebus: ille reget animos & pectora mulcet, Regum etiam spiritus constrictos tenet, *flectit ut rivos aquarum, in medio inimicorum dominatur*; & cùm saevit animis ignobile vulgus omnesque potentes, irrita reddit consilia malignantium, ridet & subsannat eos; placat intra Ecclesiae septa tumidos furores, coortas fugat seditiones, pacisque solem reducit. Sperate igitur Reverendi viri finem turbarum exoptatum ab eo, *qui compescit strepitum marium, strepitum fluctuum eorum, & fremitum* Nationum.

Sed hoc, dilecti in Christo, sedulò enitendum ut turbis hisce deturbentur & expurgentur ex Ecclesiis vestris vitia saeculi, inquinamenta mundi, vetus superstitionuum fermentum, aliaque atrocia & clamantia peccata, quae divinam vindictam provocant, omnesque turbarum & aerumnarum tempestates excitant. Calamitates enim quae vitiorum caenum abstergunt, & morbidae animae medicamina sunt, castigationes sunt salutiferae, à paternâ & benignâ manu miserentis Dei inflictae, quae perniciem avertunt, omnia fausta & salutem inducunt. Et certè finem hunc intendit clementissimus Deus, ut paternis suis judiciis emendet Ecclesiae naevos, & rectificet devian tes tramites.

 Et

Et hoc imprimis urgemus, honorandi viri, ut hâc occasione arreptâ omnes superstitiosos, & idolomania contaminatos ritus eliminetis ex Ecclesiis vestris, & religionis cultu. Deformant enim, non honestant Dei Ecclesiam & Cultum, & gloriosæ Reformationis facem, & faciem apud vos obscurant, & dedecorant: ornamenta meretricis Babilonicæ, anus fronte rugosæ, conquirenda non sunt, ad ornandam Sponsam Christi, immaculatam & formosissimam Virginem. Virginem ducere oportuit Sacerdotem Domini, & animal offerre, quod nunquam jugum tulit: sic Virgineos ritus vult Dominus, qui ab Antichristo nunquam sunt inquinati, nec sub illius jugo unquam arârunt. Cæremoniæ enim illę hactenus in Ecclesiis vestris retentæ, & tempore adauctæ, si non alio, hoc saltem nomine expurgandæ sunt, quòd meretrix Romana iis ad suas tegendas scortationes, & ad alliciendos homines vesanos ad scortandum abusa sit, & adhuc abutatur. Quid enim sunt pompæ istæ omnes & ceremoniæ Papisticæ, quàm fuci meretricii, ad hoc excogitati, ut homines ad spiritualem scortationem alliciantur: Turpe igitur est iis exornari cultum & Ecclesiam Christi. Inutiles illæ elegantiæ larvæ, omnesque ceremoniæ in quibus nihil inest, præter inane oblectamentum, præter luxū sine fructu & theatricum apparatum, Iudaicam, Turcicam & Ethnicam superstitionem, ubi illæ olim, & etiamnum hodie vigent, potius decent: Christiana verò religio & Cultus illas tolerare nequit. Nec possunt cum Ecclesiæ statu spirituali, & pauperrimâ ejus sorte & conditione subsistere. Superstitio cæremoniarū mater sumptuosa est; id scilicet scortatio spiritualis cum scortatione corporali commune habet, utrique fuco, ornamentis & illiciis opus est, quæ sine sumptuoso apparatu comparari nequeunt. Et certè Ecclesia quæ superstitiosas & idololatricas Cæremonias induit, superstitionis & idololatriæ est particeps: nec vel signo aut specie quidem communicare nos, cum superstitione pietati adversa oportet: Cultus enim Cæremoniæ sunt protestationes fidei " & communio rituum est symbolū Communionis in religione. "Nonne qui edunt victimas consortes sunt altaris?" Inquit Gentium Apostolus. Quantū etiā conferant Ceremoniæ istæ ad publicā Ecclesiae pacem & unitatē turbandā & scindendā docet præsens rerum vestrarū Catastrophe, & nuperi Ecclesiarum Scoticarū motus; quorum occasionē prebuere & pars magna fuisse ritus papistici. Quot & quantę obsecro turbę & rixę in primitiva & reformata Ecclesia excitatę fuêre, cū magno pietatis detrimento, & cursus Euangelii retardatione, per superstitionū Ritus & Cęremonias inductas? Et quanta mala dedit hoc dissidiū? Exēpla quę passim in historiis Ecclesiasticis occurrunt, satis apertè & dilucide confirmant, quod dico. Et quid opus est verbis, cum rerū testimonia adsunt? Instruta crudelitatis & injurię in Ecclesię Ministros & filios fuerunt Cęremonię Ecclesię Anglicanę, prętextus fuerunt improbę malitię, occasiones fuerunt deponendi, deprivandi, incarcerandi, & in exilium relegandi dignissimos & optimos Ecclesię pastores, aliosque tetra dominandi libido ab Episcopis adhibita,

hibita, in piis & probis, cæremonias & reliquias papatus fastidientibus, examinandis & ad conformitatem (ut ajunt) cogendis; pænæque iis inflictæ, manifestò palam reddunt quantam tyrannidem invexerint in Ecclesiam Dei cæremoniæ Regni vestri. Cum quispiam clanculum aut publico Scripto, quædam contra tetram Episcoporum dominationē, Prælatorum excessus aut defectus, Ecclesiasticorum simoniam & luxum, aliasque corruptelas Ecclesiæ Anglicanæ protulisset, inquisitio armatâ vi in eum facta, ac si crimen læsę Majestatis commissum. Non sunt hæc arma Sacerdotum spiritualia, sed carnalia, quæ superioribus sæculis Reges terræ tradiderunt bestiæ, hæc non est virga discipulorum Christi, quæ virga dilectionis est, sed virga ferrea, quâ conteruntur vasa Domini: hæc crudelitatis instrumenta, illata in domum Dei, execranda sunt ab omnibus, qui pacem Hierusalaimo optant, & Christianæ compassionis viscera gerunt: quoniam à Christo mansuetissimo Dei agno, non perfecta sunt, sed ab Antichristo, cui datū est bellum inferre in Sanctos. Certè viscera misericordiæ, benignitatis, animi submissionis, tolerantiæ, quæ Apostolus requirit, in omnibus Christianis, respuunt crudelitatis illa instrumenta. Si nullum aliud iniquitatis monumentum extaret, quàm cruenta dolenda, & miseranda illa fidelium ministrorum Iesu Christi oppressio per cæremonias exorta, ex abundanti sufficeret ad omnes illas ex Ecclesia eliminandas. At præter hæc fidem conspurcant, & religionem maculant, professionem nostram infamant & suspectam reddunt; Ecclesię Dei offendiculum objiciunt; Alios tristitiâ afficiunt; alios in viâ salutis retardant, alios ad ruinam inducunt & disponunt; hostes in errore confirmant, & efficiunt ut glorientur & gestiant animo, cùm vident trophęa damnatę suę Sectę erigi in Ecclesiis Dei: & nihil aliud in omnibus fidelibus producunt, quàm tristitiam & dolorem, tristemque servitutem, quę lętę spiritus libertati plurimum obest, & privat libertate quę à Christo donata est. Iugum igitur hoc excutiendum, nec diutius cervicibus vestris incumbere patiendum. Huic & libertas Ecclesiastica in spirituali Ecclesię regimine & Ecclesiasticis ministeriis est adjungenda; nec ferendum si fieri potest, ut amplius Episcoporum fastus & tetra dominatio depascat Ecclesiam Christi ejusque regimen: tradidit Ecclesiam Regnum suum Christus regendam, non dominante Episcoporum authoritate, sed pastorum & presbyterorum ministerio, & communi consilio. Quod adeò certum est, ut Controversiæ hujus finiendæ spes, certa & facilis affulgeat, si omnes huc attulerint fidem, non affectum; candorem non acumen; nec tam consuetudine, quàm jure se communiant. Si enim non solùm intueamur primitivæ Ecclesiæ politiā, priusquam sub Christianis principibus, "potentia & divitiis major (loquor cum Hieronymo) virtutibus minor facta fuit": verùm etiam attentiùs ponderemus, tum gravissima aliquot minimaque ambigua præstantium Doctorū Ecclesiæ testimonia, quibus splendidissimam facem huic evolvendæ quæstioni prætulerunt; tum vero maximè S. Scripturæ hac in parte singularem evidentiam: & non tam ab in-

veteratâ consuetudine, & hominum constitutionibus quàm à Scriptis legibus, & solius sacræ Scripturæ arbitrio causæ definitionem & præsidium mutuemus, " memores debere nos à judicio veritatis magis quàm à præjudicio consuetudinis doceri, " ut Augustini monitum habet; facilè infelix hoc certamen de regimine Episcopali in Ecclesiis Orthodoxis dirimi posse non ambigemus: fidem faciunt innumera recentium Scriptorum testimonia & Scripta publica, in quibus presbyterialem politiam, æqualitatemque pastorum asseri, & Episcopalem ὑπεροχὴν everti videmus, rationibus depromptis ab institutione Christi, praxi Apostolorum, qualitate ministerii, officio ministrantium, suffragatione Patrum, & Ecclesiarum confessionibus. Cum igitur Episcopalis προεδρία non Divinæ sed humanæ institutionis sit, in reformatas Ecclesias non est inducenda nec toleranda, quoniam gravissimis malis in Ecclesiam inducendis olim viã patefecerit, & etiamnũ hodiè in papatu reformationi consiliisq; melioribus morã faciat, & facilè præsertim in Ecclesiâ (ubi in altius fastigium sese attollere cupientibus, minus est obstaculi) in dominationẽ abeat, & hinc in tyrannidẽ, quâ nulla unquã deterior aut perniciosior pestis in Dei populũ incessit. Nolumus hâc in re refricare Regni vestri vulnera, sed omni Christianâ moderatione sanare potius, aut certè fovere & obligare, cum animo statutum habemus. Nostis quid Ecclesiæ vestræ à fastuosa quorundã Episcoporũ dominatione passæ sunt nuperrimè, quam miserandã religionis faciem, quam deformẽ Ecclesiastici regiminis formã, dissolutam vitæ disciplinam, & prophanũ Sabbati cultusque Divini contemptum induxerit. Iugum illud Divino auxilio, cælitùs ἀπὸ μηχανῆς dimisso, jam ferè excussum, rursum inducere vesanæ ingratitudinis esset, cùm colla subducere datur. Rogamus igitur & obtestamur per mutuam nostrã fidẽ sanctam, per Christianam & unicã nostrã religionẽ reformatã, & fraternã nostrã charitatem, quam retinemus per vinculũ pacis in unitate spiritus, ut & regimini ecclesiastico reformando incumbatis: & æquo judicio coram Deo pensitetis, an vobis non expediat, an publicæ ecclesiarum vestrarũ ædificationi non inserviat, an concordiæ & unitati religionis nostræ non conveniat; ut unam & eandẽ nobiscũ, & aliis Galliæ, Scotiæ, totius Belgii, &c. Ecclesiis gubernationis Ecclesiasticæ politiã assumatis, utpote quæ Apostolici ævi simplicitatẽ sic æmulatur, ut quàm proximè ad eam accedat. Faxit Deus ut omnis dissidii materies inter nostros, & calumniandi ansa ab hostibus etiã hâc in parte tollatur: & Ecclesia reformata hîc etiã sit " acies quadrata terribilis.

Hæc cùm suademus, dilectissimi in Christo, nolumus turbas, dissidia, multo minus bella vestra excitare, promovere, aut fovere. Testamur enim coram Deo, quòd maximâ animorum perturbatione, & dolore medullitùs hærente, exaudimus Anglicanum " populum potentem,

In sua victrici conversum viscera dextra
Cognatasque Acies & rupto fœdere Regni
Certantem totis concussi viribus orbis
In commune nefas.

Sed

Sed hoc intendimus, ut turbarum & diffidiorum materies fuccidatur, modis & mediis legitimis tollatur: ut Ecclefia ab omnibus humanis corruptelis & faftu mundano purgata, fecurâ pace quieta perftet. Et fuademus, imò fupplices oramus omnes Chrifti Ecclefias omnefque fideles, qui aliquid in Regno veftro valent, ut fummis viribus omnem operam adhibeant, ad turbas exortas fedandas & componendas. Iungite nobifcum & animos & preces, vota, obteftationes, & lachrymas, ad Deum, ad homines (hæc enim funt arma Ecclefiæ) ut amicitiæ dextras jungere, & fœdere fancto coire velint partes diffidentes. " Omne quod eft, tamdiu manet & perfiftit, quandiu eft unum ": axiomatis hujus Philofophici omnium temporum experientia in cōmuni rerum natura, in fingularum cujufve generis vel duratione, vel interitu, veritatem comprobat. Cuncta naturalia quæ mente, quæ oculis intuemur, quandiu inter fe pacata & tranquilla funt, fefeque naturæ fuæ finibus continent, nec benevolentiæ illa vincula abrumpunt, quibus, artifice verbo, rerum univerfitas conftricta eft; tandiu munda, valida & pulchra confiftunt: at fimulatque mundi machina pacata & quieta definit effe, mundi verùm nomen & omen amittit: eadem res etiam locum habet, in populis, urbibus, cœtibus, exercitibus, familiis, claffibus, conjugiis, & fodalitiis: quæ omnia ut pace confervantur, fic difcordiâ & feditione penitùs evertuntur. Nihil enim melius, nihil dulcius, nihil fanctius fincerâ hominum inter fe concordiâ; quod non folùm vera ratio dictat; fed omnium etiam fanorum hominum prudens teftatur experientia, quæ refpublica non cenfetur beatiffima, cujus cives fe mutuâ complectuntur benevolentia? Quodnam quæfo regnum rapinæ hoftium, & prædæ expofitum fuiffe proditur unquam, in quo illibatus manferit civium amor? Hinc Titus Quintius apud Livium, adverfus confentites, nec Regem quemquam fatis validum, nec tyrannum fore, affeverabat: nec minus prudenter Micipfa morti proximus fic apud Saluftium, filios fuos affatus eft, Regnum trado vobis firmum, fi boni eritis; fi mali imbecillum. Nam concordiâ res parvæ crefcunt, difcordiâ maximæ dilabuntur.

Hâc arte crevit in initio Ecclefia Chrifti, unitate nempe & pace, hæc enim eft ejus utilitas, ut vates cecinit, " quod Deus illic mandet benedictionem & vitam". Benedictionem nempe omnem præfentis & futuri fæculi; & vitam fpiritualem, vitam gratiæ, vitam ex mortuis, vitam æternā. Novit Satanas acutis telis fuis impenetrabilē effe Ecclefiā, nifi feipfam diffindat: unito Ecclefiæ corpore, acies ejus retunditur & hebefcit; ne quidquam jacula fua fe vibrare fremens experiatur, nifi noftrâ culpâ, ut ictus excipiamus, nos ipfos exarmatos & disjunctos hofti feriendos tradamus. Deo & virtutibus cæleftibus nihil tā propriū eft quā pugnas & diffidia nefcire: & omnes qui pacis bonū complectuntur, eiq; contrariam difcordiam & feditionem infensè oderunt ad Deum & Divinas mentes accedunt. Contra qui funt iis moribus, ut contentionibus gaudeant, ac novitate famam captent, adverfæ partis funt, Satanam imitantes, qui fub difcordiæ caligine locum fibi furtim aperit, ut

Ecclesiæ corpus in occulto sagittet. Viperina progenies igitur & ex parte Diabolo sunt, qui conflant, fovent, & promovent discordias vestras, qui inter vos regem regno & regnum regi subducunt. Bella facienda & suscipienda sunt ut pacem consequamur, nam finis belli pax est: intestinis & civilibus discoridiis finis belli ruina est. Græciæ civitates concordes non Xerxis exercitus terruit, nec Persæ vincere potuerunt, sed cùm odio, discordia, & invidiâ inter se exarserunt, inter se invido concursu certantes, ad parem usque exitii finem pervenerunt.

"Classem immanem, immensam; immania fata minantem."

Præteritis temporibus concordi spiritu dissipavit Regnum vestrum, Ibericum & Romanum fastum cum hostium ludibrio conculcavit; multa alia, pro communi reformatâ Religione contra Pontificum Romanorum tyrannidem, perenni omnium cum laude gessit: intestinis discordiis flagrantibus, libertatis vestræ jacturam vos facturos vates sumus (utinã falsi) Et ita vos omnes victores, ante devictis Romanis postea ludibrio & contemptui eritis. Unanimes junctis viribus pro libertate cum hostibus decertantes, religionem & rempublicam tyrannide Pontificiâ oppressam, utramque asserere & vindicare, & assertam utramque tueri & conservare potuistis. Et dum stetit vestra concordia, spem omnem abjecerunt adversarii colla vestra servitutis jugo subjiciendi: cùm verò hodie turbis inter vos excitatis, male compacta esse corporis vestri membra vident, animos resumunt, ut egregium illud, Regni vestri & Ecclesiæ in Regno, corpus in se ipsum sæviens αὐτοχειρία occidant; vel viribus sub antiquam tyrannicam Pontificis servitutem reducant. Quis non animadvertit hac via cursum Euangelii & puri cultus Dei impediri. Cum illos qui præ cæteris meditari Ecclesiæ, & veræ Religionis restitutionem videbantur, intestinis dissidiis distractos, ac hostiliter inter se commissos videmus; ne conjunctis studiis & consiliis hoc tam præclarum opus unanimes molirentur. Videmus hoc tempore Papistas, Iesuitas, toto terrarum orbe vires & manus conjungere & quidquid possunt suis copiis adjungere, operas inter se partiri ut papalem tyrannidem, & conscientiarum carnificinam, & falsæ doctrinæ corruptelas quantum possint promoveant ac propugnant. An genuini Ecclesiæ filii, quo tempore eam vident à tot adversariis confertim impeti, non debent alii alios juvare, procul omni contentione remotâ? Ne privatis dissidiis impliciti communem fidem negligant, & aut prorsus amittant, aut in periculum adducant. Nutat fidei puritas & Religionis firmitas apud vos, si tantus sit amor fortunam belli experiri, ejusque aleã subire. Membra estis unius corporis, at membra inter se pugnare, monstri simile videtur. Qui animâ unâ & spiritu uno aluntur & reguntur discrepare inter se non solùm fœdum est, sed & perniciosum. In eadem familiâ estis, unum communem habetis Dominum, Christum in Ecclesiâ, Regem in Reno, qui in unâ domo morantur, concordes esse par est. "Utinam excindantur qui vos perturbant! Iudicabit Dominus (sunt Irenæi verba) eos qui schismata

mata operantur, qui sunt inanes, non habentes dilectionem, suam utilitatem potius considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ: propter modicas aut quaslibet causas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & dividunt & quantum in ipsis est interficiunt, pacem loquentes & bellum operantes". Ex latebris in publicum protrahet quandoque Deus (si quod pios respectet numen & si quid uspiam justitiæ est) omnes eos qui sub falso & fucoso justitiæ, pietatis, Religionis, fidelitatis & obedientiæ nomine & prætextu Ecclesiæ unitati & incolumitati non parcunt, ut hujus sæculi fumos, mundanos honores & utilitates suas consequantur.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate Deum memorem fandi atque nefandi.

Quisquis sit in Regno vestro, aut ubique terrarum,

Tros Tyriusque siet nullo discrimine habetur,

Qui oleum Camino addit & frigidam suffundit in hoc perturbationis & turbarum incendio, quo flagrat Ecclesia & Regnum vestrum, annunciamus ei odium Dei, quod incumbit iis, qui inter fratres discordias seminant, & vindictam divinam, quæ quamvis serò, tamen tacitis certò venit pedibus. Et nos, fratres Angli, obtestamur vos in nomine Iesu judicis omnium, ut non fucatè, sed sincerè; non timidè, sed confidenter; non tardè, sed citò; cum omni diligentiâ, pacis amore, mutuâ reverentiâ, & Christianâ ἐπιείκεια contribuatis quicquid vestrarum est virium ad pacem Regni vestri, ne lacera labra latius dehiscant, sed potius consolidentur. Hora vos vocat, jam ædes proximi ardent, diverso tumultu miscetur regnum vestrum,

----crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Si hîc quispiam otio langueat, incendium ad ejus quoque otio torpentis ædes citò perveniet. Quantum igitur quisque potest vel oratione, vel re, vel consilio, vel authoritate, vel precibus, vel imperio, tantum debet discordes in concordiam reducere. Quantis laudibus extollendum exemplum ejus, qui Episcopos Constantinopoli litigantes his verbis demulcebat; "Si vobis ullo " modo dissidii causa sum, Ionam Prophteam integritate vitæ non supero; " projicite me in mare, & tumultuum tempestate agitari desinetis: quidquid " vobis visum fuerit, tametsi à culpa immunis, libenter perpetiar: siquidem " hâc ratione concordia vestra repræsentari & resarciri possit, throno deturbate, urbe ejicite, tantùm veritatem & pacem (ut cum Zacharia loquor) " amate". Utinam in Regno vestro talis sit animus Episcopis aliisque, qui dissidia vestra extruunt & fovent. Beatos Christus pronuntiat pacificos, qui ipsi pacem amantes, inter alios eam conciliare student.

Dilecti fratres obnixè rogamus, ut hanc nostræ amicitiæ & sanctæ communionis tesseram suscipiatis benigno, eoque animo quo vobis exhibetur. Studium hoc nostrum in vos probatum Deo esse certè confidimus: vobisque pro-

probatum iri etiam speramus. Olim nostris morbis remedia efficacissima parastis, cum intestinis de religione dissidiis flagraret patria nostra; ope etiam vestra, vulnera nostra curata, & morborum reliquiæ depulsæ sunt: & vos igitur eodem in morbo hærentes à nobis curari sustinete: gratitudinis studio par pari referre conamur: & ejus animi & indolis sumus, ut malimus tollere lites quàm instituere. Et tu clementissime Deus, Deus pacis, concordis ordinis & non confusionis Author: spiritus tui communione & mutuâ concordiâ aduni animos fratrum nostrorum diffidentes; tolle dissidii semina; flecte Serenissimi Regis & procerum animos in amorem fraternum: ut in Ecclesia nulla sit in religione dissensio, nulla voluntatum discrepantia, nullum morum ac vitæ dissidium: & in Regno omnia sint pacata & tranquilla. Amen.

PSAL. CXXXIII.

Ecce quam bonum & jucundum fratres habitare in unum.

Επιφώνημα. Nazianz. Orat. 19.

Pax amica! meditatio mea, decus meum, quam Dei, cujus Deum, & Deum esse audimus; ac ne sic quidem eam reveremur! Pax amica, bonum ab omnibus laudatum, a paucis vero conservatum; ubinam tanto jam temporis spatio nos dereliquisti? Quando ad nos reditura es?

VIRGILIVS.

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes.

Nomine *Classium & Ecclesiarum Zelandicarum votum, consilium & consolationem hanc ad Ecclesias Anglicanas transmittimus nos Classium & Ecclesiarum ad hoc negotium Deputati.*

Gulielmus Apollonii *Ecclesiæ Middelburgensis Pastor.*
Gideon van Deynse *Pastor Ecclesiæ Verianæ.*
Iodocus Larenus *Pastor Ecclesiæ Vlissingensis.*
Isaacus Hoornbekius *Pastor Ecclesiæ* Middelburgensis.
Daniel Suavius *Pastor Ecclesiæ* Middelburgensis.
Godefridus Vdemannus *Pastor Ecclesiæ Zirizeanæ.*
Petrus Laccherus *Pastor Ecclesiæ* Zirizeanæ.
Nicolaus Heystius *Pastor Ecclesiæ Goesanæ.*
Esdras Vlasmannus Pastor *Ecclesiæ* Iersicanæ.
Iohannes Boschartus *Ecclesiastes Lilloensis.*
Daniel van Middelhoven *Ecclesiæ Tholanæ administer.*

FINIS.